DISSERTATIO MEDICA


INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

AUCTORE FRANCISCO M. FAIRBAIRN.

SCARLATINA morbus contagiosus, et in his aeque ac aliis terris, ut experientia plurium annorum nimis infeliciter docuit, et frequens et perniciosus est. Ineuntem circiter hyemem plerumque sese ostendit, reliquamque per hanc tempestatem saevire perstat; interdum autem aliis anni temporibus grassatur. Neque corporis temperamento, neque sexui, neque aetati parcere videtur; magis tamen infirmis quam ro-



bustis, magis foeminis quam viris, maximeque omnium impuberibus utriusque sexus infesta est.

Hicce morbus in cute summa faucibusque internis versari solet; sic tamen, ut modo illa, modo hae magis implicentur; et nunc febris synocha, nunc typhodes adsit. Tres praecipue morbi varietates esse videntur; quarum una Scarlatina simplex, altera anginosa, tertia Scarlatina (sive Cynanche) maligna nominatur. Simplex nimirum dicitur, ubi cutis vivide lateque rubet, faucibus rubore et dolore tantum, sine ulceribus, leniter affectis: Anginosa, ubi fauces valde rubent, tument, dolent, ulceribusque superficiariis occupantur, cute ut in specie simplici apparente: Maligna, ubi, cum nulla aut purpurea cutis eruptione, vires multum dilabuntur, faucesque sine tumore livent, et crustas cinereas ulcera maligna tegentes ostendunt. Testimonio certe eorum, quibus plures scarlatinam considerandi occasiones obtigerunt, varietates, quales jam proposui, in eadem familia eodem quoque tempore se saepe ostenderunt;

quin et in eodem aegro alia in aliam morbi progressu aliquando sensim transivit. Quae quidem, me judice, satis demonstrant, eas omnes ex eodem contagio nasci; et Doctorem CULLEN minus recte cynanchen malignam a scarlatina in Nosologia sua Methodica separasse, ingeniose quamvis de hac re ratiocinatus sit.

His propositis, primum dicam, quae symptomata singulis speciebus supradictis adsint; dein, quemadmodum hic morbus ab aliis, quibuscum confundi possit, distinguatur; post haec, quae notae vel spem vel periculum ostendant; et novissime, quomodo morbum curare expediat.

HISTORIA MORBI.

SCARLATINA SIMPLEX.—Haec forma est morbi mitissima, minimeque periculosa existimari consuevit. Plerumque post tres quatuorve dies

hominem contagio objectum sub vesperem necopinata invadit. Incipit, ut aliae quidem febres, a languore et lassitudine, vultus pallore, anxietate, frigorisque in corpore sensu; quibus accedunt gravitatis circa praecordia sensus, nausea, vomitus, atque dolor tum capitis, tum lumborum partiumque extremarum. Pulsus dein arteriarum, praesertim vero infantibus, frequentissimi, haud raro quidem centum et quadraginta quaque sexagesima horae parte, fiunt; respiratio etiam acceleratur, atque simul irregularis et saepe stridens est. Calor cutis circa truncum corporis multum supra consuetudinem, saepe quidem ad gradum thermometri Fahrenheitiani centesimum quartum, elevatur; dum in pedibus frigus adhuc sentitur. Ad haec cutis aridissima est; sitis multum urget; alvus nihil reddit; et praeterea oculi languent, palpebraeque turgent et intus rubent.

Eodem fere tempore, quo signa jam dicta se manifestant, fauces rubent dolentque, sed non ulceribus, sicuti in caeteris morbi speciebus, occupantur; deglutitioque plus minus diffi-

culter exercetur. Doctor SYDENHAM equidem hanc speciem, qualis sibi obvenerat, sine ulla faucium affectionis mentione, descripsit; et alii quidam ejusdem modi exempla subinde viderunt. Veruntamen haud dubitandum est, quin hoc symptoma multo saepius adsit quam desit *.

Postero tertiove die, a quo morbus accesserit, facies aliquantum tumescit, et simul eruptio florida, maculis amplis constans, in cute apparet; quae primum quidem in facie sese ostendit, et dein per cervicem, brachia, aliasque corporis partes sensim diffunditur. His maculis tandem coalescentibus, cutis rubore continuo occupari videtur, et dicitur quasi internam conchae astaci elixi faciem referre. Dicta eruptio magis magisque indies vespere rubescit; quod tamen die tertio vel quarto praecipue evenit. Die quinto cutis deflorescere coepit, septimoque vel octavo eruptione se penitus vacuam

* Vide "Armstrong on Scarlet Fever;"—et "Cullen's "First Lines of the Practice of Physic."

exhibet, cuticula simul in squamulas abeunte; quo tempore etiam aeger multum prurigine vexatur.

Interdum, eruptione facta, morbi violentia plus minus inclinatur: dolor capitis et pyrexia multum levantur; vultus hilaris evadit; et nausea vomitioque recedunt. Saepe tamen post eruptionis accessionem pyrexia violentius quam antea saevit; cutis fervidissima permanet; aegerque vel inquietus vel soporus, haud raro noctu delirus est. Hic tamen observandum est, ut delirium, quod in hac scarlatinae specie accidit, vix medico curae esse consueverit; quippe quod et lene est, et plerumque prima luce iterum abscedit.

Eruptio cum penitus evanuerit, symptomata mala, quae supra memoravi, se retrahere solent, simulque valetudo secunda revertitur. Potest tamen fieri, etiam post hoc tempus, ut aqua intercus superveniat, aegrumque diu affligat; quinetiam certior, haud ita multis abhinc mensibus *, de casu factus sum, in quo, post

* Mense Martio scripsi.

eruptionis recessionem, morbus, quamvis eousque mitis fuisset, aspectum subito cynanches malignissimae induerat, aegrumque brevi de medio sustulerat. Sed longe saepius evenit, ut scarlatina simplex in cuticulae squamulas desinat, aegerque ex ea sine ullo vitae discrimine evadat; adeo quidem, ut SYDENHAM eam nullis remediis nisi quiete et leni diaeta egere, atque "nimiam medici diligentiam" forsitan plus nocere quam prodesse, arbitrari solitus est.

Scarlatina anginosa.—Fauces in hac specie multo gravius, quam in ea de qua supra dicebam, afficiuntur, aliaque omnia symptomata vehementius saeviunt. Signa febrium consueta hanc etiam formam introducunt; plurimum languoris et anxietatis est; dolor capitis, nausea, et subinde vomitus biliosus multum vexant; et his succedunt rigores plus minus conspicui, et qui intervallis incertis redeunt. Nunc quoque temporis plerumque fit, ut fauces inspectae se male habentes ostendant; interdum autem anginae symptomata non ante accedunt, quam

cutis rubere coeperit, quod die secundo vel tertio, ut in specie priori, evenit.

Inter initia quidem musculi circa maxillas, cervicem, atque humeros cum dolore rigent; et haec rigiditas, morbo progrediente, interdum adeo gravescit, ut aeger nec os aperire, nec cervicem vertere sine summa molestia possit. Nec ita multo post, in gutture quasi angustia sentitur; vox rauca fit; et aliquando quidem tussis clangosa, cum respiratione stridente, ut in cynanche tracheali, accedunt, mortemque suffocatio producit. In plurimis casibus deglutitio quoque ex difficili agitur. Lingua etiam, ore inspecto, turgida ruberrimaque videtur, ejusque papillae praeter naturam eminent; morbi progressu autem ea saepe crusta albida obtegitur. Tonsillae, uvula, palatumque molle initio valde rubent tumentque; et paulo post maculas albidas hic illic sparsas ostendunt, leviterque ulcerata fiunt. Ulcera, crustis cinereis obtecta, humorem, qui partes adjacentes foedat, animamque foetidissimam efficit, emit-

tunt; atque partes ulceribus expertes simul colore sanguineo sunt.

Membrana etiam narium morbo implicatur: inflammatione et saepe quidem ulceratione afficitur; et interdum adsunt distillatio, gravedo, sternutatio, aliaque signa quae catarrhum indicare soleant. Haud raro quoque glandulae, quae salivam secernunt, tument, dolent, et tandem in suppurationem abeunt, tardeque sanescunt.

Pulsus initio frequens et solito exilior, interdum autem validus et durus est; progressu tamen morbi languidus et inordinatus evadit. Pyrexia semper vespere intenditur, et haud infrequenter delirium supervenit. Cutis vehementer calet aretque, dum pedes manusque frigent; sitis permagna est; functionesque ventriculi et intestinorum, ut indicant nausea, vomitus, et constipatio, plus minus turbantur.

Cutis, ut supra quidem memoravi, circiter diem secundum aut tertium rubere coepit; eruptioque eundem fere aspectum ac in scarlatina simplici habet, idemque post tempus rece-

dit. In quibusdam casibus, quam primum eruptio se manifestat, febris inclinatur, et mala quae fauces occupaverint pedes retrahunt; quod tamen haudquaquam universum est, et nonnunquam quidem omnia symptomata graviora fiunt. Quod ad eruptionem vero pertinet, hoc porro observandum est, ut, quo generalior est, quoque magis cutis rubet caletque, eo levius fauces afficiantur, eoque tutior morbus videatur. Medici periculosum esse proponunt, si eruptio partialis est, vel subito e conspectu se aufert.

Symptomata gravia cum eruptione simul inter diem quintum et octavum recedere solent; cuticula deinde in squamulas abit; et aegrotans sanitatem sensim recuperat. Interdum autem fit, ut morbus non tantum tempore solito non decedat, sed etiam novas vires acquirat; ulceratio faucium gravescat; pulsus frequens et debilis, vultusque pallidus et quasi cadaverosus evadat: et, rebus ita se habentibus, valde timendum est, ne aeger cito moriatur, vel certe tardissime convalescat. Nonnunquam etiam,

spatio plus minus longo post eruptionis retrocessionem interposito, et sanitate quidem tanquam penitus restaurata, languor, debilitas, pulsus frequens, anorexia, et posthaec anasarca supervenerunt; et multi, qui morbum primarium aufugerunt, hoc secundario misere perierunt. Denique, ut historiam scarlatinae anginosae concludam, observare licet, eam in bronchitidem vel phrenitidem hydrocephalicam desinere posse.

Scarlatina maligna longe periculosissima hujus morbi species est; quippe quae summa debilitate et diathesi putrida comitatur. Interdum ab origine quidem indicia typhi sese ostendunt; saepius autem synocha initio saevit, sed post breve tempus, vires frangendo et exhauriendo, in typhum graviorem mutatur. Anxietas et agitatio, molestia circa praecordia intolerabilis, nausea, vomitus et dolor capitis morbum introducunt, et omnia quidem graviter vexant. Pulsus debilis, exilis, et irregularis fit, sic ut interdum vix distingui possit; et delirium vel coma, saepe inter ipsa initia, adest.

Debilitas, morbo progrediente, sic ingravescit, ut haud raro, minima exercitatione, vel etiam corpore erecto, aeger animo deficiat.

Lingua in hac specie initio livescit, tenerescit, et paulo post crusta subfusca obducitur; fauces, tonsillae, partesque adjacentes, crustas cinereas vel nigricantes, sub quibus latent ulcera mali generis, ostendunt, sed parum tument; anima valde foetet; oculi languidi et suffusi fiunt; et copia humoris acridi e naribus profluit, labiumque superius erodit. Ulcera jam dicta, quae in faucibus existunt, saniem acridissimam emittunt; quae fauces tubumque alimentarium magnopere irritat, et haud raro diarrhoeam movet. Insuper, interna labiorum superficies phlyctaenis exiguis conspergitur, et humor ex iis profluens multum irritationis excitat. Respiratio quoque frequens et difficilis est, atque suspiriis frequentibus intermiscetur; necnon adest difficultas devorandi, quamvis levior quam in scarlatina anginosa.

Eruptio, maculis amplis purpureis constans, die secundo vel tertio, serius citiusve, primum

in facie et cervice, dein in aliis corporis partibus, apparet. Hae maculae non semper coalescunt, sed discretae, interpositis spatiis etsi minutissimis, aliquando remanent; et haud raro quidem petechiae et vibices sese simul ostendunt. Nonnunquam quidem eruptio de toto abest, dum alia symptomata mala ingravescunt; quod signum mortiferum haberi solet.

Eruptio cum tres quatuorve dies perstiterit, usitate evanescit; sed morbus non ideo semper declinat. Saepe, vel post eruptionis recessionem, omnia symptomata graviora fiunt: glandulae circa collum conglobatae, sanie acrida absorpta, inflammatae fiunt; deinde universa cervix tumescit atque livescit, aegerque suffocatus moritur. Hic morbus interdum paucas intra horas post ejus accessionem aegrum tollit; non tamen omnibus aeque lethalis est, varios enim acerbitatis gradus inter speciem anginosam et malignissimam exhibet.

DIAGNOSIS.

Sequitur ut notas, quae hunc morbum ab aliis distinguant, paucis ostendam. Scarlatina confundi cum rubeola potest; et maximi est momenti accuratam inter eas diagnosin statuere, siquidem alii alia curatione opus est. Facile quidem, ni fallor, notis sequentibus distinguentur.

Eruptio in scarlatina maculis amplis, ruberrimis, coalescentibus constat, et die secundo vel tertio apparet; in rubeola autem papulis perexiguis, confertis, distinctis, et aliquantum eminentibus est, nec ante diem quartum sese ostendit. Insuper sternutatio, distillatio, gravedo, tussis, aliaque catarrhi indicia rubeolam ab initio semper comitantur; sed scarlatinae vel e toto desunt, vel fortuito et sero accedunt. In scarlatina etiam fauces plerumque rubore et dolore, haud raro ulceribus, afficiuntur, deglu-

titioque simul difficilis est; quae symptomata raro rubeolae adsunt. Cutis in scarlatina multo magis quam in rubeola calet: in illa etiam cuticula densata in squamulas sic abit, ut interdum proportionibus satis conspicuis e manibus et pedibus decidat; haud raro anasarca plus minus gravis, vel interdum quidem hydrocephalus supervenit, vel alias gangraena mortem inducit; in hac autem cuticula in squamulas minimas, pollini similes, abit, et saepe sequitur pneumonia, vel phthisis pulmonalis, vel ophthalmia.

Scarlatina maligna, ut interdum cutis eruptione caret, sic pro cynanche tonsillari recenseri potest. Haec indicia autem eas aliam ab alia satis distinguunt: scarlatina semper e contagio oritur; dum cynanche tonsillaris non ab eo pendet: inflammatio in illa per totam faucium membranam diffunditur; sed in hac praecipue tonsillas afficit: in priori ulcera faucium, magna debilitas, febris typhodes, et ad gangraenam proclivitas adsunt; posterior autem synocham ostendit, et in suppurationem saepius desinit.

PROGNOSIS.

Quod ad prognosin pertinet, illud in generali observandum est, quo magis ad speciem simplicem morbus appropinquat, eo minus timendum; et, vice versa, quanto magis ad malignam spectat, tanto periculosiorem esse. Ideoque scire licet, aegrum non periclitari, si febris lenis est, et, cute efflorescente, plus minus inclinatur; si eruptio vivida summam cutem, faucibus leniter affectis, passim occupat; et si vires corporis haud ita multum franguntur. Contra, morbi gravis periculum est, ubi synocha vehemens aegrum vexat; ubi cutis, vel passim, vel in quibusdam tantum partibus, eruptionem purpuream ostendit; ubi eruptio ex colore ruberrimo in lividum, vel purpureum mutatur, aut ex subito penitus evanescit; ubi vires multum dilabuntur; ubi fauces ulcusculis lividis et gangraenosis late occupantur, et pejus est,

si simul nulla in cute eruptio existit. Mali etiam morbi testimonium est, humorem acridum copiosum ex ulceribus profluentem partes adjacentes multum irritare, atque diarrhoeam movere; spiritum fieri foetidissimum; glandulas cervicis tumere atque suppurare; artus horrere debilesque fieri; tendines subsilire; os hiare; oculos languere et madere; et denique, cum suspiriis frequentibus, singultum esse. Ex his autem notis omnibus, scire licet, iis, in prognosi constituenda, maxime credendum esse, quae ad faucium viriumque conditionem respiciunt.

RATIO MEDENDI.

Nunc solum restat, ut methodum huic morbo medendi breviter exponam. Igitur in omnibus ejus speciebus opera, quartum firei potest, danda est, ne effluvia ex aegri corpore orientia in cubiculo accumulentur. Ideoque omnia excre-

ta statim amoveri, aëra libere admitti, omniaque vestimenta quam saepissime mutari oportet. Multum etiam prodest, cubiculum vaporibus acidis, sicuti nitroso, muriatico, vel acetico, subinde respergere; parietesque, si fieri potest, dealbare haud absurdum est; et simul calor frigusque aeque cavenda sunt. Atque haec quidem, adjectis diaeta antiphlogistica, et, si necesse est, medicamentis laxantibus, scarlatinae simplicis curationi fere sufficiunt. Cum autem et haec species saepe remediis jam dictis non cedat, ad alia potentiora confugiendum est; de quibus nunc tractare progrediar.

Missio sanguinis.—In scarlatina sanguinem mittere prosit an noceat, haudquaquam inter medicos convenit. Alii utilissimum ac pene quidem unicum, cui credere oportet, hoc remedium esse contendunt; quia morbus plane incitationis indicia, utique magnum corporis calorem, pulsum frequentem, dolorem capitis, aliaque signa quae auctum sanguinis impetum denotent, ostendit. Alii contra venaesectionem perniciosam esse proponunt, quia prima conta-

gii actio ad debilitatem inducendam valet, quia cor arteriaeque propter cutis inflammationem copia sanguinis privantur, et quia pulsus, quamvis frequens, semper tamen debilis est. Hoc remedium certe non sine discrimine adhiberi debet, sed non ideo penitus rejiciendum est. In corpore pleno, cum fauces valde rubent dolentque, cum dolor capitis multum cruciat, cum calor longe supra consuetudinem surgit, cumque alia, quae nimiam excitationem denotent, vehementer saeviunt; tum sanguinem mittere, mihi, non modo tutum, verum etiam efficacissimum fore, videtur. Saepe tamen satius est, praesertim si infans aegrotat, cucurbitulis vel hirudinibus faucibus externis applicatis, quam e brachio venaesectione, sanguinem detrahere. Missio sanguinis evidenter nocebit, si vires multum imminuantur, si ulcera faucium ad gangraenam spectent, aliaque putredinis signa adsint. Quantitas sanguinis mittenda pro rerum necessitudine variet necesse est; sed amplam proportionem semel et

celeriter, quam eandem partitis vicibus detrahere plane multum efficacius foret.

Affusio frigida a Doctore CURRIE de Liverpool proposita, multum in hoc morbo curando haud immerito commendata est. Primo intuitu quidem missioni sanguinis multum praestare videtur; quod nimirum, sine debilitatem movendo, ut febris discutiatur, valeat, atque simul somnum jucundum inducat. Hoc remedium praecipiendum est, cum cutis sine tremore ardet rubetque, cum arteriae crebro fortiterque pulsant, et cum absunt ea signa quae sanguinis congestionem in cerebrum aliave viscera indicant; praecipue tamen vespere adhibendum est, quia tunc febris exacerbatio esse solet. Affusio frigida, si spei medici bene respondet, cutem madidam mollemque reddit, calorem imminuit, hominem e languido alacrem efficit, somnumque gratum deinceps inducit.

Dum hoc remedio utitur, aeger in balneo residere potest; vel forsitan efficacius est, si corpus ejus canali aquae algidae subjicitur. Simul, quia in hoc morbo pedes frigent, pedilu-

via tepida adhibenda sunt. In scarlatina maligna, ubi debilitas multum urget, cutem spongia ex aceto diluto expressa madefacere, vel aquam tepidam corpori affundere satius est.

Emetica e tartrate antimonii et ipecacuanha mistis, morbi initio et partitis dosibus adhibita, saepe utilissima sunt. Diaphoretica etiam haud parvam opem ferunt; vix tamen in specie maligna his utendum est, quia debilitatem augere possent.

Escharotica et *rubefacientia* in quibusdam casibus utilia sunt; sed timendum est ne gangraena, praesertim in scarlatina maligna, eorum usu sequatur.

Gargarismata, sicuti decoctum cinchonae cum pauxillo acido sulphurico, et infusum rosae gallicae, multum in hoc morbo prosunt. In specie maligna vero vinum rubrum Lusitaniae, et infusum fructus capsici annui pro gargarismatis commendantur.

Tonica et *stimulantia*, cum vires multum dilabuntur, et ad gangraenam proclivitas est, ad-

hiberi oportet. Ex his quidem vinum, opium, et cinchona, sine dubio optima sunt.

Acidum oxymuriaticum a quibusdam in hoc morbo magni aestimatur.

Purgantia *, denique, haud raro prosunt. Cura tamen adhibenda est, ne alvus nimis fluida atque cita fiat, aegrumque ita debilitet. Submurias hydrargyri mitis optimum horum medicamentorum in scarlatina curanda existimatur; quia non modo alvum solvit, sed exhalationem cuticularem quoque promovet.

* Vide Hamilton on Purgative Medicines.

FINIS.